

Petrus de Vinea

*Ep. V 89 (Accedens nuper
ad maiestatis nostrae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 89 (Accedens nuper
ad maiestatis nostrae...)*

1220-1266

Cuidam Potestati et communitati, ut ablata post appellationem non postponant restituere.

1. Accedens nuper ad maiestatis nostrae presentiam Petrus de ..., ciuis Florentinus, fidelis noster, nobis exposuit cum querela, quod, cum dudum a sententiis seu condemnationibus per uos seu inquisitores uestros, qui inter uos circatores uulgariter nuncupantur, latis et factis contra eum olim per ..., Potestatem uestrum, in quadam pecuniae quantitate ad nostram audientiam appellarit, uos eidem appellationi, sicut dicit, minime deferentes, fideiussores suos ad soluendam quamdam pecuniae quantitatem contra iustitiam compulistis, in ipsius graue preiudicium et dampnum etiam manifestum.

2. Qui cum nostrae celsitudini supplicarit, ut ipsi super premissis dignaremur secundum iustitiam prouidere, nos, quantumcumque uobis fauorem conferre uelimus in uestra iustitia, a iustitia tamen discedere non ualentes, ipsius supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus, si est ita, quicquid post appellationem predictam sic interiectam per eundem P. uel eius fideiussores per uos attemptatum est in statum pristinum reuocantes, sine difficultate qualibet pecuniam ipsam a dictis fideiussoribus suis extortam restituatis eisdem: ita, quod pro hiis clamor ipsius P. ulterius iuste nostro culmini non feratur.

3. Nam pro utriusque partis commoditate, necnon presentibus et consentientibus nuntiis uestris, in curia nostra noueritis causam appellationis eandem fore commissam per nostram excellentiam P. de... cognoscendam, per eum fine debito terminandam.